



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

Dominica XX. Post Pentecosten.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

repleti eandem in sordes projecerunt. Gravissimè gula per excessum peccat. *Mense V. Disc. 123. pag. 28. à num. 5. ad finem.*

^{5.}
Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Matth. 22.

Non solùm malè cogitando, loquendo, operando meremur pœnas, sed etiam omittendo ac officium nostrum negligendo. Contra omissiones explicatur hodierna parabola. *Mense X. Disc. 302. à num. 4. pag. 525.*

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

^{1.}
Domine, descende, priusquam moriatur filius meus. Joan. 4.

Sapiens & providus fuit hic Regulus, dum ita festinavit pro filii sanitate: non arbitratus spem longioris vitæ in juventutis flore ponendam, urgebat Cristum, ut veniret. Quàm improvidi sunt multi mortalium, non pro aliorum tantùm, sed propria etiam salute! sic vivunt, ut nunquam morituri, & pœnitentiam differunt in incertum tempus, quod an nobis ad pœnitentiam suffecturum sit, ignoramus. *Mense I. Disc. 26. pag. 427.*

2.

Incipiebat enim mori, Joan. 4.

Utut nobis valentes, vegeti, juvenes videamur, singulis tamen momentis incipimus mori, quia semper unâ horâ propinquiores morti sumus, etiam tunc, cum nascimur. Beati infantes, qui baptismo accepto brevem affecuti finem in gratia moriuntur! At nobis adultis profectò necessaria est quotidiana ad mortem præparatio. *Mense III. Disc. 65. pag. 75. usque ad num. 6.*

3.

Incipiebat enim mori, Joan. 4.

Misericordia dignus erat hic reguli filius, quem non suâ culpâ ægrotâsse legimus, & pro quo pater tam erat sollicitus. Utinam juvenes multi, imò & adulti, essent ita quoad infirmitatem animæ suæ innocentes, & pro recuperanda spirituali sanitate solliciti! Miseri isti, cum in luxuriæ vitium prolabi & mori DEO incipiunt, excusare se volunt propter humanam fragilitatem, & labendi facilitatem: neutra tamen excusatio valet, sed propria eos voluntas condemnat. *Mense V. Disc. 136. pag. 291. usque ad num. 5.*

4.

Incipiebat enim mori, Joan. 4.

Non legitur iu Evangelio, quænam fuerit causa tam gravis morbi. Certè non grassaba-

l 4

tur

tur contagio, unde infici potuisset: & si lucus aliqua vagaretur, summâ curâ custoditus fuisset Reguli filius, imò ipse sibi pro sanitate servanda sollicitè vigilâset. Quid Christiani agunt? itâne omnes contagionis spiritualis occasiones devitant? non video. Multi enim incipiunt mori, & excusant se propter multas mali occasiones, quibus utique Religiosi exempti sunt, ipsi verò quotidie immiscentur. Vanam esse hanc ipsorum excusationem, patet *Mense V. Disc. 136. pag. 307. à num. 5. ad finem.*

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

^{1.}
*Patientiam habe in me, & omnia reddam
tibi. Matth. 18.*

Quis non credidisset, obtentâ creditoris veniâ mitissimum fore hunc debitorem? verùm ille, dum tempore suo uti deberet ad solvenda debita, abusus est illo ad cruciandum conservum, novâque culpâ se obstrinxit. Eodem prorsus modo peccatores, etiamsi à DEO tempus sat largum poenitentiae obtineant, illo tamen sæpe abutuntur, & concessos dies sine fructu consumunt ac pereunt. *Mense I. Disc. 27. pag. 444. usque ad num. 5.*